



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 19. Novi Appellantium Episcoporum tumultus Parisiis excitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII.
A. C. 1717.

§. XIX.

*Novi Appellantium tumultus Parisiis
excitati.*

Postquam hoc Pontificis responsum
Parisiis innotuerat, Appellantes pacem, quam proxime a Papa confici arbitrabantur, perturbaturi, toti in eo erant, ut fidem, quam Regni Regens de certa Noailii acceptance fecerat, Clementi XI. suspectam redderent, huncque adversus illum concitarent: Ea propter ejusdem Cardinalis appellationem nulla mora publicis typis vulgarent unacum illius mandato, in quo Noaillius ex Bulla *Unigenitus* omnia mala dimanasse, eamque obscuram esse, ac explicationibus indigere & propterea ad Concilium, donec Bulla vel a Pontifice, vel ab Episcopis Gallicanis communi consensu explicaretur, se appellare aiebat, ejusmodi tamen Concilium petebat, quod esset legitimum & in loco securo, quo vel ipse vel ejus Deputati tuto venire possent, congregatum, ad hoc igitur Concilium non modo a Pontificis Constitutione, sed etiam ab omnibus Papæ decretis, epistolis & quibuscunque poenis vel censuris contra se vel suos pronuntiandis appellabat, atque in sua Instructione Pastoralis ejusmodi

Lafiteau l. 6.

Sæc. XVIII. modi appellationes esse legitimas
 A. C. 1717. Canonicas probare nitebatur. Ut vero
 Quesnelliani Pontificem adversus Regni Regentem adhuc magis concitarent, Noaillii appellationem Ecclesiasticæ Curix & Parisiensis Universitatis tabulis inseri procurarunt, Sorbonæ Cancellario inter alias hujus facti rationes allegante, quod ex singulari erga Pontificem reverentia, & sacre Sedis honorem procurandi studio hanc appellationem, qua Cardinalis sinceram suam erga Ecclesiæ Romanæ decreta submissionem, immotam erga D. Petri Cathedram adhæsiorem, perfectam venerationem, plenam erga Principis Apostolorum obedientiam verumque Ecclesiæ & Franciæ pacem relinquendi desiderium testaretur, ad Universitatis acta referre permotus fuerit. An vero impudentius religioni ac Pontifici insultari potuisset, aliorum judicio relinquimus. Insuper huic appellationi non modo Parisiensis Ecclesiæ Metropolitanæ Capitulum die vigesima Septembris, sed etiam sequenti die quadraginta octo Parochi pro se suisque Capellanis adhæserunt, ac tertio post Parisina Facultas Theologica suam appellationem confirmavit, declaravitque quod Noaillii appellationem cum summa veneratione acceptet, æternamque

suæ reverentiæ monumentum relictura, Sæc. XVIII.
 ejusdem Cardinalis appellationem suis A. C. 1717.
 actis inferere, Deputatisque ad eum
 duodecim Senioribus Magistris eidem
 suum fidei ac Religionis tuendæ Zelum
 ac constantiam gratulari decreverit.

§. XX.

*Pontificis indignatio contra Regis
 declarationem.*

Temerarii hi ausus ad appellantium *Epist.*
 vota summum Pontificem eo acer- *Clem. XI.*
 bius irritabant, quo minus expectatæ *pag. 2276.*
 essent ejusmodi machinationes in ea *Dorsann.*
 temporum vicissitudine, in qua proxima *pag. 362.*
 Noailii subjectio ipsius Regis nomine
 Romæ annuntiabatur, ac ipse Rex
 ad obstruendas erroris fauces silentium
 imponebat: Explicabat præprimis Pon-
 tifex suam indignationem contra im-
 politi silentii rationem per literas, quas
 ad Regentem dari jussit; postquam vero
 solemnem Bullæ appellationem Cardi-
 nalis Noailii nomine Parisiis typis edi-
 tam ubique divulgari compererat, at-
 que in ipsa Regis declaratione Accep-
 tantibus quoque, imo ipsis solis &
 quidem circa doctrinam jam in Galliis,
 ac universo pene Orbe receptam silen-
 tium imponi, atque Appellantibus om-
 nem declamandi licentiam relinqui exi-